



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. VII. Vtrùm congrua sint, quæ in primâ quæstione proœmiali pro se  
& contra nos congeßit Celladeus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



## QUÆSTIO SEPTIMA.

*Virum congrua sint, quæ in primâ quaestione proœciali pro se & contra nos concessit Celladeus?*

**PR**IMA tangit Celladeus in primâ quaestione libri primi, quæ omnia eò tendunt, ut quædam in nostram sententiam præjudicia in ipso operis exordio conjiciat, & præsumptiones vehementes contra singularem suam opinionem amoliat. Nonnulla eorum, quæ primâ hæc quaestione protulit, peculiaribus quaestionibus examinavi ac improbavi; reliqua autem in præsentem quaestionem rejeci, ne quidquam omisisse videar, & ut in omnibus falsitatem opinionis, atque argumentorum ejus nullitatem patefaciam. Sit ergo.

## ASSERTIO PRIMA.

*Incongrua sunt & falsa, quæ Celladeus quaestione primâ tamquam præjudicia contra benignam sententiam proponit.*

## PROBATUR ASSERTIO,

*Proposendo & examinando ea, quæ dictâ quaestione concessit; neque enim aliter probari potest hujusmodi assertio.*

**OBJICIT** ergò primò. Plurimorum opinio est, doctrinas opinionesque morum, non quæ veras aut falsas, sed quæ probabiles aut non probabiles censendas esse. Ita Celladeus hæc quaest. 1. §. 5. At hoc absurdum est, cum sola veritas omnis inquisitionis finis esse debeat. Unde videtur inferri, quòd illis benignæ sententiæ Auctores in rebus conscientie credendum non sit, qui tam præposterè de rebus ejusmodi agunt. Tandem, paulò post, ibidem tamquam proprium & singularem suum sensum profert, pluris sibi esse conclusionem probabilem veram, quam probabiliorum, aut etiam apparenter certam, sed falsam.

Respondeo Celladeum non posse ullum bonæ notæ Auctorem citare, qui tam impetè loquatur. Provoco enim illum, ut loca afferat, ex quibus constat, plurimos nostræ sententiæ Auctores ita loqui, aut hoc docere. Verùm hoc nunquam præstabit, quia certum est, Auctores omnes non aliter solere opiniones censere, quam quæ veras. In eo æquivocat Celladeus, quòd aliquando disputemus directè de rebus ut sunt in se, aliquando verò reflexè tantùm de illis agamus, prout substant alicui peculiari circumstantiæ. In primo casu omnes enunciant, propositiones esse veras aut falsas, nisi fortè non veritatem rei, sed solum rei apparentiam considerent; tunc enim dicunt, talem rem esse vel non esse evidentem, probabilem, temerariam, &c. Verùm in hoc etiam casu propositio, de quâ agitur, semper censetur ut vera aut falsa; non enim agitur de ipsâ re, sed solum de illius evidentiâ, probabilitate, &c. quæ pronunciat esse vera aut falsa, ut patet. Quòd si reflexè agant de rebus ut probabilibus, tam-

quam de regulâ operationis, tunc quidem Auctores benignæ sententiæ censent, omnem opinionem certò practicè probabilem sufficere ad conscientiam debitè formandam, id est, censent propositionem hanc esse veram, quam Celladeus ut falsam rejicit. Ergo in omnibus semper censent conclusiones, de quibus agunt, ut veras aut falsas, non ut probabiles aut non probabiles; neque aliter fieri potest à quoquam, qui de ullâ re controversâ suam sententiam promittit.

3. Hinc sequitur, Celladeum immeritè, ut proprium sensum, sibi applicasse, quòd pluris faciat conclusionem veram, quam probabiliorum, aut apparenter certam, sed falsam; hoc enim, si rectè intelligatur, omnibus veritatem querentibus commune est, quia omnes veritatem cæteris omnibus antepferimus. Sed quia veritas sæpe certò reperiri non potest, reflexè quaerimus, an certa probabilitas practica conscientie ritæ formandæ sufficiat, in quâ etiam quaestione non probabilitatem, sed veritatem ipsam quaerimus, eamque aliis omnibus antepferimus.

4. Cæterùm in hoc ipso Celladei dicto, nisi rectè intelligatur, aperta conspicitur terminorum contradictio; impossibile enim est, quod quis actu existimet propositionem aliquam esse veram, simulque reputet oppositam esse probabiliorum aut certam. Unde ergo potest quis plures facere veram, quam probabiliorum aut certam? Profectò probabilitas, & multò magis certitudo aliquid addit veritati apparenti. Si ergò veram multi facit, quomoddò veriorum, imò apparentem certò veram plures non faciet? Quicumque aliquid aut certum esse putat, aut probabilis opposito, eo ipso, Celladeo id non solum faciente, sed plurimis in locis hujus tractatus operose probante, intellectualiter præfert illud opposito; quia reputat hoc ipsum esse aut certum, aut verisimilitus opposito. Ergo licet in hoc judicio erret, non tamen potest simul intellectualiter plures facere oppositum, tametsi unicè verum. Et sanè si de prælatione intellectuali loquatur, (de quâ loqui videtur) non potest nisi incongruè, & cum contradictione dictos terminos usurpare, cum unusquisque eadem mensurâ alienam opinionem damnet, quâ suam illi contrariam approbat.

5. Sed juvat dictum istud exponere, quod Celladeus non explicuit. Quando dicimus, nos plures facere veritatem, quam probabiliorum aut certitudinem merè existimatam, sermo non est de prælatione intellectuali exercitè sumptâ, sed solum de prælatione aliquâ affectivâ, aut intellectuali reflexâ; nam sensus est, nos unicè quaerere veritatem, atque ita in illam ferri, ut si optio daretur, præoptarem per probabilem rationem incidere in veritatem, quam per rationes probabiliores, aut etiam per existimatas certas decipi & errare. Porro quia reflexè judicamus hoc esse melius, ideo hoc modo reflexè præferimus veritatem probabiliter obrentam falsitatis etiam certò existimatæ.

6. Obj-

falsa & incongrua obicit Celladeus.

Omnes veritatem quaerunt in suis resolutionibus.

Incongrua est Celladei locutio, nisi debite explicetur.

Omnes censent opiniones, quæ veras, aut falsas.

Exponitur sensus dicti prioris.



6. Objicit secundò. Plerique probabilium assertores ita poscunt iudicium evidens & infallibile pro regulâ morum, ut iudicium probabile pro conscientia formandâ tamquam insufficientis rejiciant. Hæc autem opinio nimis stricta videtur. Ita Celladeus hic §. 5.

Equivocatio Celladei detegitur.

Respondeo, Celladeum hic equivocare, ac confundere dictamen directum & remotum cum reflexo & proximo. Plerique nostræ sententiæ patroni, immo, si pressè loquamur, omnes tenent, ultimum conscientia rectè operantis dictamen esse debere certum & evidens, quod verissimum esse latè probavi quæst. 13. de conscientia probabili. Et sanè Sanchez, & præterea unus vel alter, qui alicubi simpliciter dicunt, dictamen probabile sufficere, convineantur loqui de dictamine directo, quia iidem dicunt, certissimum esse, quòd unicuique liceat sequi opinionem probabilem, non certam. Ergo censent opinionem benignam, & dictamen conscientia ultimò per illam formatâ esse certa, & plusquam probabilia. Quòd si sermo sit de dictamine directo ac remoto, nemo prorsus invenitur ex patronis nostræ sententiæ, qui dicat illud debere esse certum, cum omnes expressè supponant, illud sæpissimè esse solum probabile & incertum. Jam benigna sententiâ, juxta hæc distinctionem accepta, nec nimis laxa est, nec nimis rigida, sed auream mediocritatem servat.

Obiectio Celladei.

7. Objicit terciò, una veritas inventio est dubii solutio. Ergo Probabilistæ errant, qui dubia per probabilitatem solvunt, non per veritatem. Immo sic faciendò nullo modo dubium solvunt. Antecedens expressè traditur à Celladeo hic §. 5. Consequens est unum ex præcipuis, quæ probanda assumptis in plurimis libri sui locis.

Antecedens falsum, & consequentia nulla.

Respondeo, antecedens esse patenter falsum, dubium enim solvitur tam per falsam, quàm per veram enunciationem. Certè quando duo de eodem dubio interrogati contraria respondent, uterque dubium resolvit, cum tamen unus eorum necessariò fallatur. Consequens etiam non sequitur, quia probabilium assertores per enunciationem absolutam omnia dubia resolvunt. Sed hoc interest in eorum resolutionibus, quòd aliquando per principia directâ, aliquando per reflexa quæstionem resolvant. Quando directè resolvunt, non per probabilitatem, sed per veritatem existimatam terminant quæstionem, & tunc aliquando errant. Sed quando quæstionem solvunt indirectè, dicentes licitum esse sequi quamcumque opinionem certò practicè probabilem, etiam per veritatem solvunt quæstionem, & nunquam errant, ut evicti in tract. de conscientia probabili, & in hoc opere multis argumentis monstratum est, & ulterius comprobabitur in sequentibus.

ASSERTIO II.

Alia incongrua & falsa Celladei dicta notatur.

Incongrua sunt & falsa, quæ Celladeus ad inviciam à singulari sua opinione avertendam ibidem accumulat.

8. **P**ROBATUR, sicut prior assertio, confutatione eorum, quæ assert. Inprimis sic discurret. Potissimum, quod in rigida sua sententiâ potest offendere, est, quòd sit contra consuetum. Consuetudo enim habitum inducit, qui per modum naturæ inclinatur. Unde quod est contra R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

tra consuetum, videtur esse contra naturam. Cum ergo homines jam à multo tempore sententiæ benignæ assueverint, si quid in contrarium dicatur, ferunt ægerimè. Thomistis scientia media non probatur, nec Auctoribus Societatis prædeterminatio physica, idque non aliâ de causâ, quàm quia ab initio juventutis ad contrarias opiniones assueverunt; si enim eadem ingenia ab initio contrariæ sententiæ assuevissent, utique æquali nisu in contrarias opiniones abissent. Itaque quòd benigna sententiâ tam altas radices egerit, consuetudini tribuendum est. At consuetudo non probat rem consuetudine firmatam esse veram. Ergo cum versetur in re magni momenti, quæ ad animarum salutem pertinet, veritas ferrioris sententiæ proponenda est, quamvis malè auditura sit apud complures, eò quòd sit contra consuetum. Ita Celladeus hic §. 6.

Respondeo, Celladeum loco citato benè quidem depingere vim consuetudinis, sed incongruè illam applicare ad præsentem controversiam. Consuetum enim moribus tribuitur, non doctrinis; cum nemo, propriè loquens, doctrinas appellet consuetas, sed unanimes, vel communes. Deinde doctrinâ illâ de vi consuetudinis abutitur adversus unanimitatem omnium Ecclesiæ Doctorem opinionem, per sæculum integrum continuatam. Et hoc quidem verum esset, si ille, majore probabilitate contentus, minorem vel æqualem tantummodò rejiceret. Verum quòd hoc modo loquendi utatur ad introducendam suam singularem sententiâ, quòd ne quidem major probabilitas ad conscientiam ritè formandam sufficiat, est prorsus intolerandum, non præcisè quia novum est, seu ut ipse vult, contra consuetum, sed quia novum est in materiâ morum, in quâ periculosissimum est communem Ecclesiæ praxim, unanimitèrque Auctorem omnium sententiâ falsitatis arguere, & longè absurdissimum, illam nomine consueti (quod nomen vulgaris doctrinæ, atque etiam vitæ flagitiosissimæ hominibus commune est, aut etiam quodammodò proprium) traducere. Quid enim hoc aliud est, quàm prætere, Deum per plura sæcula Ecclesiam suam deseruisse, permisisseque omnes ejus Doctores in re tam universali ac necessariâ, quàm est doctrina de regulâ formandi conscientiam in rebus incertis, in talem errorem labi, ut homines eorum doctrinam sequentes non excusarentur, sed innumeris peccatis per se imputabilibus illaquearentur? Nónne hoc est, quod persuadere prætendis, Celladee? At quomodò animus tuus ad talia non horrescit? Quomodò audes novissimam ac singularissimam tuam sententiâ quasi unicam pro salute animarum venditare? Ergonè Deus plus tibi, quàm omnibus doctissimis juxta ac Sanctissimis Ecclesiæ Doctoribus revelavit? Nec plura tantum revelavit, sed alios omnes turpiter damnosèque errare passus est, ut te demum instar novi Legislatoris ad errores omnium Ecclesiæ Doctorem corrigendos eyeheret? Hæc atque hisce similia sunt, Celladee, quæ opus tuum legentibus vehementer displicent, quæque illis absurdissima videntur, quamvis tibi visa fuerint publicâ luce dignissima.

Consuetudinis, sed moribus convenit.

Quid in Celladeo displicat.

9. Præterea, argumentatio, ex hoc capite desumpta, est prorsus nulla. Inprimis nemo Novatorum, contra communem Ecclesiæ sensum temerè opinantium, inveniri potest, qui simili prologo, eisdemque verbis suam novitatem, ac temeritatem tegere, ac apud vulgus cohonestare nequeat; aliud enim non legitur, quàm universalis

Argumentum Celladei inofficere est ad verum & falsum.



falis quædam declamatio, à vi consuetudinis desumpta, contra opinionem communem, sub nomine *consueti* graphicè depictam. At hæc contra omnem opinionem, veram juxta ac falsam, certam & incertam, ex æquo applicari possunt; ac proinde ad intentum persuadendum nil prorsus ponderis habent. Ergo indigna sunt, quæ à serio Theologo afferantur.

Paritas à doctrinis propriis Scholarum Celladeo non suffragatur.

10. Deinde paritas de propriis diversarum Scholarum doctrinis ad intentum nil facit. Ratio est, quia ex hæc Auctorum divisione apertè constat, utramque sententiam esse probabilem; ac proinde ineptum foret ex hoc capite prætere, ullam ex illis determinatè sumptam esse falsam, quia in tali casu communitas doctrinæ in unâ familiâ non magis fundat præsumptionem, quod illa opinio sit vera, quam universalitas doctrinæ contrariæ ab aliâ Scholâ traditæ fundet præsumptionem, quod sit falsa. Verum casus noster non est huic similis, quia in casu isto homines aut privatis legibus, aut affectu peculiari ad suas sententias defendendas incitantur. At nos loquimur non de unâ aliquâ Scholâ aut familiâ, sed de unanimi omnium Scholarum ac familiarum, atque etiam singularium omnium Doctorum sententiâ, quam nec affectus privatus promovete, nec leges domesticæ inducere, nec consuetudo stabilire potuit. Quæro enim, cur omnes omnino in benignam sententiam consenserint, cum circa alia fermè omnia mirè discrepent? Non affectus privata familiæ, quia locum non habet. Non leges domesticæ, quia nullæ talem sententiam præscribunt. Non consuetudo, à Celladeo præterita, (causa enim hujus consuetudinis quæritur) efficere poterunt, ut tot homines nullis opinandi legibus coerciti, tam diversa ingenia, indoles tam contrariæ, Auctores denique Scholasticis alioquin factionibus divisi, in hanc sententiam conspirarent. Non ergo aliâ de causâ consenserunt, nisi quia aut patens veritas eos impulit, aut suavis Dei providentia, quæ in universali morum regulâ discernendâ Ecclesiam suam errare non permittit, tantam in Ecclesiæ Doctoribus concordiam inspiravit; perspicuum enim est, unanimum omnium consensum in aliis causis refundi non posse. In hoc ergo casu unanimis omnium consensus, seu, si improprie loqui velis cum Celladeo, consuetudo universalis veritatem tam potenter arguit, ut præsumptio ex hoc solo capite desumpta longè præponderet omnibus, quæ in contrarium aut hætenus allata sunt, aut meritò putantur afferenda.

Celladeo in consuetudine arguitur.

11. Demùm in hoc ipso inconsequenter locutus est Celladeus, qui tum hinc §. 4. tum alibi admittit, unanimum consensum Doctorum esse motivum sufficiens ad indubiè afferendum, quod ignorantia invincibilis excuset à toto. Cur ergo par omnium consensus non mereatur fidem, quod liceat sequi opinionem saltem probabiliorè? Sed libuit illi in eodem contextu inconsequenter loqui, & modò idem motivum omnibus præferre, modò idem suæ opinionati postponere; cum tamen in merito utriusque causæ, atque in motivo utriusque conclusionis nulla sit diversitas; tanta enim est Auctorum concordia in uno, quanta in altero illorum asserendo; & si sit ullus excessus, ille favet benignæ sententiæ, cum ex Recentioribus, post Janenium, plures doceant, ignorantiam invincibilem juris naturalis in infidelibus ac peccato addictis à toto non excusare. Quare sic insto. Si quis exurgeret, ac doceret, ignorantiam invincibilem non excusare à toto,

simulque contrariam communemque omnium sententiam nomine consueti traduceret. Celladeus eum haud ferendum, & meritò quidem, clamaret. Non ergo miretur, si nova ac singularissima ejus opinio eadem de causâ à nobis tamquam absurda & haud toleranda rejiciatur; quia eodem prorsus fundamento illam repellimus, quo ille aliam omni nisi rejiciendam putat.

12. Objicit secundò. Alterum, quod in rigidâ sententiâ displicere potest, est, quod sit contra consuetum largius, conscientias arctet, Confessariisque manus liget, &c. At hoc obistere non debet, quia in totâ morum doctrinâ nil videtur tam largum, atque Confessariis tam commodum; quam quod juxta omnes opiniones probabiles, etiam contradictorias, etiam nihil opinando, etiam opinando contrarium; responsa dare, & Sacramenta administrare possint. Certè Confessarii & consultores, ex tot contrariis opinionibus directionem capientes, omnibus placere poterunt in restitutionibus, solutionibus, & contractibus, &c. Item in elemosinâ, jejuniis, in parvitatibus, in bello & pace; quia ætas hæc Collectorum moralium libris abundat, apud quos in omni materiâ facile est contrarias Auctorum gravium opiniones reperire, quibus disjunctim utentes omnibus ad gustum respondere poterunt. At hoc nimis laxum est, ideoque meritò restringi debet. Interim restrictio displicet, quia est contra laxius. Adeo autem diffi ille est, novam doctrinam contra antiquam laxiorem inducero, ut Patres & Theologi inde probeant, doctrinam Christianam non nisi divinâ virtute inductam fuisse, quia consuetum laxius damnat. Ita Celladeus §. 7. Tum factur, desperandum esse, ut ipsius sententiâ unquam recipiatur & prævaleat nisi Dei unius gratiâ ac virtute, si quæ impossibile videtur contra consuetum laxius unquam proficere.

13. Hæc de causâ §. 8 quodammodò desperandum judicat, ut aliquis ex libro suo fructus existat in seniorum Theologorum animis; quare spem omnem in juvenibus ponit, speratque fore, ut invicta veritas primùm in aliquorum juvenum animos illabatur, atque illis eam alios docentibus tandem prævaleat. Potro; ad hanc suam quæ spem quæ desperationem confirmandam, primò citat Aristotelem *Ethic. cap. ult.* ubi Philosophus observat, præcepta & verba ad reddendos probos homines (in malo inveteratos) non sufficere, &c. quæ tamen videntur posse liberales adolescentes hortari, atque incitare, moresque eorum ex virtute sibi obnoxios, generosos; ac vere honestatis studiosos reddere: & plerisque ad probitatem provocare non posse: non enim pudori, sed timori obedire, neque abstinere à malo ob dedecus, sed ob penam consueverunt. Nam cum ex affectu vivant, proprias voluptates, atque ea, ex quibus existunt, persequuntur, doloresque oppositos sugunt. Ejus autem quod honestum est, & verè faciendum, cum id prorsus non degustarint, ne notionem quidem ullam habent. Eos igitur, qui tales sunt, ad moderationem traducere quæ oratio possit? Ita Aristoteles, quæ omnia ad suam causam aptissimè transferri putat Celladeus; in quem etiam finem citat Nazianzenum (sed locum non apponit) sic discurrentem. *Minoris est negotii rudi adhuc animæ veritatem primùm instar cere nondum signate imprimere, quam super litteras, hoc est pravæ doctrinæ & dogmata, pium sermonem scribere ita, ut posteriora cum prioribus confundantur, & perturbentur. Neque enim ut planam & tritam viam præstat incedere, quam asperam, nullisq; pedum vestigiis impressam, &c.*

Multa pro sua sententiâ honestè affert Celladeus.

Putat illam non nisi magis gratiâ induci posse in mentes hominum.



era commodius quoque fuerit animum depingere, cui vitiosae aliqua doctrina impressa sit, improbaque litterae altissime consignatae. Alioquin pio scriptori duplex hic labor suscipiendus erit, ut & priores formas deleat, & probabiliores dignioresque, quae maneant, substituat.

14. Respondeo Celladeum hic deserere scopum suum, transit enim à consideratione doctrinae reflexae; de qua praecise quaestione instituerat, ad accusationem doctrinae directae, in quam nos etiam plura nimis laxa irrepsisse fateamur, & dolemus, quae omni nisi velli ac destrui cupimus. Sed ad doctrinam reflexam redeamus. Fateor benignam sententiam Confessariis esse valde commodam, & quodammodo necessariam; at dicere, nil in tota morum doctrina esse tam largum ac laxum, calumnia est non ferenda. Quid ais, Celladee? ergo communis gravissimorum, immo omnium integri saeculi Auctorum opinio tam larga est, ut nil in tota morum doctrina sit tam laxum? unde ergo factum putas, ut aliis quam plurimis laxitatibus nuper ab Ecclesia damnatis; contra sententiam hanc, contra quam etiam vehementer clamatum est, nil omnino statutum sit? Dicam. Norunt Pontifices, norunt Cardinales, norunt omnes aequi rerum iudices, nil esse posse rationabilius, quam id, in quod omnes omnino Auctores consentiunt. Conserunt autem omnes, & etiam consentiunt in benignam sententiam, si pauculos, nec tanti nominis, scriptores excipias, qui & ipsi ferè omnes non nisi in modo loquendi, idque ex terminorum aequivocatione decepti, ab aliis discrepant, ut à me demonstratum est *quaest. 22. de conscientia probabilis*. Quomodo ergo opinionem adeo rationabilem pro laxa rejicerent? sed quid est benevola sententia (ab omnibus, ut dictum est, tradita) laxior doctrinis illis, quas Ecclesia tamquam laxas, omnique probabilitate carentes damnavit? cave ne talem censuram unanimi omnium opinioni inuras.

15. Ceterum, ingentem calumniam benignae sententiae infers, Celladee, dum dicis, Confessarios, Summis casuum probabiles tantum opiniones continentibus utentes, posse omnibus placere, illisque ad gustum respondere in restitutionibus, solutionibus, occisionibus, elemosynis, jejuniis, parvitatibus, &c. Putasne ergo, neminem ex penitentibus in officio contineri à Confessariis, qui benignam sententiam sequuntur? Accedant huc, qui sua furta, homicidia, aliaque peccata apud tales deposuerunt, omnesque uno ore dicent, se licentiam quidvis agendi à suis Confessariis non accepisse, se severè objuratos, atque ad restitutionem obligatos fuisse, nec aliter absolutionem impetrasse, quam proximam peccandi occasione relicta, aliisque quae exhibitis, quae promissis juxta qualitatem eorum, quae clavibus subjecerunt. Porro evidens est, neminem ex praescripto benignae sententiae satisfacere muneris Confessarii, qui haec aliaque plura rigidiora non praestet. Mirum proinde est, talia à calamo Theologi elabi potuisse.

Atque hic totum mundum judicem appello, an non optimè cum mundo Catholico ageretur, si nemo aliud ageret, quam quod benigna sententia docet esse licitum? quam praecleara rerum facies foret, si omnia ita se haberent? frustra ergo, & non nisi falla fingendo queritur Celladeus, per benignam sententiam nil non redditum, Confessariis quae pro arbitrato suo omnia juxta penitentium placita permittere posse, atque

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

juxta illorum desiderium respondere. Ceterum quando penitens petit à Confessario quid sibi liceat, & quovis stricta obligatione urgeatur, tenetur Confessarius veritatem aperire, quamvis frequenter illa desiderio penitentis sit conformis, alioquin suo officio non fungetur.

16. Ceterum obiectio invidiosae & infidelitatis proponit benignam sententiam; non enim tam crudè dicimus, Confessarium sequi posse quamcumque opinionem certò probabilem, etiam nil opinando, etiam opinando contrarium; sed ejus officium & obligationem multis limitationibus arctamus. Dicimus enim illum, si nil prorsus judicet, non posse fungi officio suo, cum strictè obligetur ad ea sola peragenda, & penitentibus permitenda, quae judicat esse licita; alioquin aut in dubio operaretur, aut contra conscientiam ageret. Quod si distinguamus inter directum ac reflexum conscientiae dictamen (quae Celladeus ubique ferè confundit) potest Confessarius penitentem dirigere juxta sententiam directam, quamvis ipsemet eam falsam reputet, dummodò sciat eam esse certò practice probabilem, & formet conscientiam juxta benignam sententiam. Haec omnia, sicut etiam, an & quomodo liceat agere aut consilium dare contra propriam sententiam, fuse declaravi *quaest. 30. de conscientia probabilis*, in qua adversariorum aequivocationes detexi, ostendique quomodo sententiae apparenter diversae conciliantur. Sed de illis iterum ex professo agendum erit *quaestione 47.*

17. Et hinc etenim quidem à Celladeo dicta non placent, sed praeter omnibus displicet comparatio, quam instituit inter singularem suam sententiam relate ad opinionem communem, & fidem Christianam relate ad Ethnicorum mores & dogmata. Si enim ulla sit paritas ad rem faciens, vel erit in merito credulitatis, vel in praxi doctrinae. Non in merito credulitatis, quia motiva fidei Christianae adeo excellunt, ut omnia in contrarium prorsus evanescant, & nullam probabilitatem habeant. At motiva sententiae rigidae non ita excedunt rationes benignae sententiae, sed è contrario ita exceduntur ab illis, ut quodammodo evanescant, ut fuse demonstratum est tum in hoc, tum in toto tractatu de conscientia probabilis. Non in praxi doctrinae, quia fides Christiana ita damnat certissima Ethnicorum scelera, ut simul omnis virtutis exercitium praescribat. Idem praestet benigna sententia; supponit enim omnia fidei dogmata, & omnia indubitata morum praeccepta debere integerrimè servari. De incertis ita hominem instruit, ut suadeat perfectiora, simulque doceat quae minus perfecta citra peccatum fieri possint; neminemque in operando tutum esse permittit, qui absque rationabili judicio de honestate suae operationis ad opus se extendit. Quid ergo est in benigna sententia, quod cum turpissimis Ethnicorum sectis comparari potest? Nil planè; ut indignum sit, unanimem Catholicorum opinionem tam absurdis comparationibus contra fas omne dehonestari.

18. At, inquit, in eo est paritas, quod benigna sententia, sicut & sectae, permittat quae placent. Rigida verò, sicut lex Christiana, eadem condemnet. Rursus in eo est paritas, quod sicut doctrina Christiana absque singulari Dei gratia induci non potuit, eò quod duriora praeccepta contra laxissimas praxes & opiniones tradiderit, ita absque Dei gratia nunquam induci poterit.

H 3

Intoleranda censura benignae sententiae inu-

Alia ejus calumnia gravissima.

Benigna sententia moderatè loquitur de Confessariis, Celladeus, immoderate.

Comparatio doctrinae suae à Celladeo instituta est perabsurda.

Paritates Celladei ad intentum nil conducunt.



terit sententia rigida, quia viam largiorem constituit.

Prima paritas est prorsus indigna.

Respondeo, comparationem illam, verè intolerandam, adhuc malè urgeri, quasi verè benigna sententia aut eadem, aut similia sensui placencia rationique contraria permitteret, quælia Ethnicorum scèta permittebant, cum certissimè contrarium constet. Sed hoc omisso (pudet enim illud ulterius profèqui) respondeo, scètas non ideo abominabiles esse, quia utcumque permittunt quæ placent. Profèctò lex Christiana adeo evacuat legis antiquæ onera, ut meritò dicatur status libertatis, respectu cujus lex antiqua erat durissima servitus. Rursus permittit nuptias, etiam iteratò fieri, quas nonnulli hæretici ut illicitas rejiciebant. Similiter multa alia placencia lex Christiana permittit. An ideo abominabilis est & falsa? Ideo ergò scèta Ethnicorum sunt abominabiles, quia permittunt, aut parèl pendunt usum rerum sensui placentium, quamvis ratio certa dicat, eas malas esse, & detestandas. Quid ergò absurdus, quàm comunem omnium Doctòrum pietate præstantium opinionem, quæ omnia prorsus Christianæ fidei dogmata morumque præcepta amplectitur, nilque rationi certæ contrarium permittit, cum ejusmodi scètis comparate?

Secunda paritas est frivola.

19. Secunda paritas est magis frivola. Duplex gratia est necessaria ad inducendam Doctrinam Christianam: altera ad credendum, seu firmiter assentiendum mysteriis, sicut oportet: altera ad operandum, seu ad implenda talis doctrinæ præcepta. Peto jam à Celladeo, ad quid putet gratiam pro suæ sententiæ profèctu esse necessariam? an ut habeatur vera? an ut integrè servetur? si primum, errat; quia assertio illa non est articulus fidei super omnia firmissimè credendus, sed naturalis opinio, quæ proinde absque auxilio gratiæ proponi, capi, & credi potest. Rursus æquo jure prætereundum possumus, gratiam ad fidem nostræ sententiæ dandam esse necessariam. Nec obstat, benignam sententiam esse rigidà mitiorem; nonnullæ enim hæreticorum scètae severiora præcepta tradunt, quàm fides Catholica. An ideo gratia necessaria est ad fidem erroribus illis præbendam? aut ideo gratia ad mysteria fidei Catholicæ debitè credenda non est necessaria? Nugæ. Demum præposterè procedit Celladeus, nam ut gratia sit necessaria pro fide dandà alicui sententiæ, illa debet esse vera. Severitas autem veritatem non probat. Ergo ut gratia pro illà admittendà debitè asseratur necessaria, multa præter severitatem consideranda, & legitime probanda sunt, ex quibus veritas illius constare possit, ut inde fortassis gratiæ necessitas inferatur. At Celladeus contrario modo procedit, nil enim horam probat, sed ad summum absque probatione supponit, & ex solo titulo severitatis sententiam suam veram esse, & gratiam ad illam requiri asserit. At utraque illatio est nulla, & præposterà.

Necessitas gratiæ ad implendam opinionem rigidam, non probat eam esse veram.

20. Quòd si dicat, gratiam non ad credendam, sed ad opere implendam suam sententiam esse necessariam, nil dicit; gratia enim, & quidem magna gratia necessaria est, ut homo intra terminos benignæ sententiæ se contineat. Quod autem amplior gratia requiratur ad vitam severiorem peragendam, & consequenter ad peccatum vitandum, ex suppositione conscientiæ juxta rigidam alicujus sententiæ præscriptum constitutæ, non probat opinionem illam esse potius veram quàm falsam. Sic si quis falsò putaret, se

ad omnia meliora semper peragenda esse obligatum, magna utique gratia necessaria esset ad vivendum juxta talem persuasionem; inde tamen nullatenus sequitur, persuasionem illam esse veram. Hic est ipsissimus Celladei casus. Unde miror, hominem doctissimum talia accumulasse.

21. Præterea inconsequenter discurret, dum spem omnem in juvenibus ponit, cum tamen asserat, propagationem suæ sententiæ per solam Dei gratiam haberi posse. Gratia enim Dei nulli ætati alligata est, ac proinde non minorem vim in animos vitorum maturæ ac devexæ ætatis, maximè si pietate ac doctrinâ præstent, quàm juvenum exerere solet. Hoc in Infidelium conversione ad fidem cernitur, quia gratia Dei æquè in senem ac in juvenum animis convertendis elucet, & imprudenter ageret Præcò Evangelicus, qui spem in solis juvenibus convertendis reponeret, modò soli gratiæ fideret. Scio seniores sæpe esse vitiosiores junioribus, eoque difficilius errores motesque corrigere; hoc tamen non obstante, gratia Dei non minùs hos, quàm alios lucratur, quando novis peccatis voluntarium obstaculum non opponunt. Ergo cum scètatores benignæ sententiæ sint viri probi, qui in suâ opinione tenendâ non peccant, nec ullum obstaculum peccatis suis Dei gratiæ opponunt, inconsequenter procedit Celladeus, dum spem omnem in juvenibus ponit, cum spem illam ex solâ Dei gratiâ complendam esse existimet. Nòne gratia illa præsentia tibi, ut contrariâ opinione enutrito, ita illuxit, Celladee, ut tē in oppositum traxerit? Cur ergo eandem similes effectus in aliis non dissimili modo dispositis operaturam desparas?

22. Sed independentèr ab hac inconsequentiâ, & præscindendo à gratiæ necessitate, incongruè discurret, dum spem omnem in juvenibus ponit. Juvenes enim non minùs apti, immò aptiores sunt ad novitates falsas admittendas, quàm viri graves. Non minùs quidem apti, quia intellectus eorum est instar tabulæ rasæ, cui falsum tam facilè inscribitur, quàm verum: aut instar ceræ, quæ æquè capax est figuræ pravæ ac rectæ. Aptiores verò, tum quia, ob inexperientiam & indolem magis flexibilem, novitatibus ipsis absque debitâ rerum ponderatione faciliùs abripiuntur, quàm viri graves, qui longâ rerum experientiâ edocti, non nisi post maturam rerum considerationem assensum præbere consueverunt; tum quia juvenes profundâ scientiâ, principis que ad veritatum difficultium ac latentium perceptionem necessariis carent. Ergo juvenes ac indocti faciliùs labuntur in errorem, quàm periti; quia veritas una est, & difficultè reperitur; errores autem, & errandi viæ sunt plurimæ, in quas juvenes & imperiti Sophismatibus & apparente tantùm veritate abducti faciliùs labuntur; tum demum quia seniores benignæ sententiæ assectæ, (absit verbo invidia) haud paulò probiores, Deoque conjunctiores sunt, quàm juvenes; ideoque nemo non existimabit, veritatem practicam summi momenti, & ad vitam rectè instituendam prorsus necessariam, citiùs, faciliùs, ac suaviùs ab ejusmodi senioribus, quàm à junioribus admittendam esse; omnia enim ad hoc facientia, etiam uberiora Dei auxilia, in maturiores magis quàm in juniores conspirant. Et sanè tam in novis hæresibus, quàm etiam in novitatibus philosophicis, videmus juvenes atque minus peritos falsitatibus illis longè faciliùs abripi, quàm seniores multâ doctrinâ instructos. Quot ex juveni-

Celladeus inconsequenter discurret.

Alia in ejus discursu incongruitas.

Juvenes minus apti sūt ad veritates difficiles ritè addiscendas quàm maturi ac docti.



junioribus eò adducti sunt, ut formas omnes præter animam rationalem rejiciant? Qui tamen, si maturioris judicii, profundioris doctrinæ, ac pietatis solidioris fuissent, in tales ineptias non incidissent. Frustra ergo spes in juvenibus præ aliis collocatur, quando non sequacium numerus, sed veritatem sectantium multitudo requiritur.

Aristoteles  
Celladeo  
non favet.

23. Demum auctoritates, quas Celladeus pro hac sua spe firmandâ adducit, non sunt ad rem, cum loquantur de solis evidentibus veris aut certis, non de iis, quæ sub opinionem utrimque certè probabilem cadunt. In primis Aristoteles apertè dicit, plerisque ex affectu proprias voluptates prosequi consuevisse, eosque à malis non ob dedecus & inhonestatem, sed solum ob pœnam abstinere consuevisse. Tales autem ad virtutem & honestatem, quam nunquam degustarunt, reducere difficillimum esse pronunciat, non quòd illi non videant se malè facere, sed quia ex habitu incitanti voluptates illicitas prosequuntur. E contrario longè facilius est, generosos adolescentium animos, nondum malis habitibus vitiatos, & veritate imbuere, & ad praxim honestatis, ac demum ad ipsam virtutem obtinendam inducere. Hæc vera sunt, sed quomodo Celladeo, qui de doctrinâ incertâ, eaque ut putat à probis omnibus admittendâ, tantum agit, favent, non apparet.

Nazianzenus  
acque  
contra  
Celladeum  
ac  
pro illo  
facit.

24. Nazianzenus similiter agit de doctrinâ vitiosâ litteris improbis altissimè mentibus impressâ, de quarum evulsione sollicitus erat. Afferit autem, veritatem contrariam (utpote certam, cum de incertis, maxime si sint probabiles, neutra pars dici possit doctrinâ vitiosa, aut litteræ improbæ) non nisi duplici labore in animos talium induci posse, cum & prior error eradicandus sit, & nova veritas in mente plantanda. At quid hoc ad præsentem questionem pertineat, aut cur id potius Celladeo quam nobis faveat, Oedipus est, qui dixerit. Generales istæ loquutiones non magis uni quam alteri parti applicari possunt, nisi prius independentè ab illis altera pars probetur falsa, vitiosa, improba. Cur ergo tales auctoritates ad suam opinionem confirmandam adhibuit Celladeus? Dicam: voluit aliquas afferre, ne auctoritate carere videretur; meliores non habuit, & ideo has adduxit, quæ ignorantibus fucum facere possunt, sed intelligentibus nullam probationis speciem exhibent. Aptæ proinde sunt ad juvenes, in quibus spem ponit; decipiendos; sed ad viros doctos movendos, de quibus ad se convertendis desperat, prorsus ineptæ.

An opinio  
Celladei sit  
communis,  
vel singularis?

25. Objicit tertio. Esto, rigida sententia non ita pridem ab omnibus rejiceretur, modò tamen ejus asseclæ, negantes usum æquè aut minùs probabilem esse licitum, adeo creverunt, ut eorum opinio meritò censeatur communis. Ita Celladeus quæst. 1. §. 3. sub finem, ubi Auctores illos extollit tanquam nervosè differentes, fortissimasque rationes pro se afferentes. Mox §. 4. seridè affirmat; Auctores illos secum convenire, & sic concludit, si me illis, inquit, adversari ardueris, hoc gratiæ peto, ut non te, qui utrisque contrarius es, sed ipsos illos, doctrinæ suæ satis intelligentes, judices habeam. Expertus enim loquor, & me & illos improbari magis à quibusdam quam considerari. Unde sequitur, Celladeum non singularem sed communem sententiam sequi. Nimis ergo invidiosè, immò falsè singularitas opinandi ipsi objici videtur.

Respondet, Celladeum debuisse nominare

complures illos eximiosque Auctores, qui negant licitum esse sequi æquè aut minùs probabilem. Ego quæst. 22. de conscientia probabili demonstravi non plures quam quinque aut sex pro illâ opinione citari posse. Cæterum ibidem ostendi, paucos illos ingenti æquivocatione deceptos fuisse, nullumque illorum sententiam benignam in sensu à nobis asserto impugnasse. Præterea probavi, plures eorum sibi contradixisse, & neminem inter illos reperiri (si fortè Sinnichium, hæc in parte expressè sibi contradicentem, multisque in locis manifestis æquivocationibus deceptum, exceperis) qui in ullo apice à benignâ sententiâ in sensu legitimo intellectâ recedat. Itaque sententia rigida, sive numerum, sive consensum Auctorum illam tradentium spectemus; nec est, nec meritò dici potest communis. Non si numerum, quia pauculi, illique non maximi nominis Theologi contra innumeros, imò contra alios omnes afferuntur. Non si consensum, quia in substantiâ rei, ac in ipsâ terminorum intelligentiâ ab invicem dissentiant, atque ita divisi sunt, ut sibi ipsis mutuo non placeant. Nec mirum, primum enim est homines, regiam ac tritam viam deserentes, diversos calles terere, proprium que dictamen sectando absque ullâ concordie spe in diversas opiniones ire. Itaque opinio rigida, docens usum æquè ac minùs probabilem non licere, non est communis, sed & est, & meritò reputatur singularis.

Opinio  
rigida non est  
communis.

26. Cæterum certissimè constat, omnes Auctores illos à Celladeo toto cælo discrepare; illi enim majorem probabilitatem pro conscientia debite regulandâ sufficere expressè contendunt, cum Celladeus tradat, nec majorem probabilitatem, nec certitudinem existimatum ad hoc esse sufficientem. Atque hinc est, quòd illi Auctores reipsâ à nobis non discrepent, cum nos majorem etiam probabilitatem, saltem reflexam, exigamus. Celladeus verò solus contra omnes est, illisque juxta ac nobis adversatur.

Opinio  
Celladei est  
singularissima.

27. Sed quid ad petitionem ipsius dicam? Illa justa esset, si Auctores illos præsentibus habere-  
mus, tunc enim ex proprio ore cujusvis sensum explorare possemus. Quòd si postulet, ut à viris illis longo intervallo distitis per litteras exploremus, quid senserint, petitio hæc abest ab eo, quod decet, quàm longissimè. Sed non est, cur se aut nos in hæc parte fatiget Celladeus. Auctores illos eorumque opera coram oculis habemus, illos propriis verbis loquentes audimus, illis ipsis suam opinionem post longum studium exactè ac maturè declarantibus fidem damus; nec quisquam melius eorum mentem exprimit, quàm ipsi. At illi ore pleno & ex professo docent, majorem probabilitatem regulandæ conscientie sufficere. Quo uno doctrinam Celladei, ut falsam, duram, ac intolerabilem, pleno & constanti sermone rejiciunt.

Petitio  
Celladei non  
est justa.

28. Demum difficile est assequi, quòd querela illa, de se aliisque improbatibus magis quàm consideratis, tendat; nisi indicare velit, quòd alibi etiam longè apertius significat, doctrinam hanc suam ab aliquibus rejectam fuisse. Hoc quidem experiri potuit, si id contigerit; & mirandum foret, nisi contigisset; fieri enim nequit, quin opinio singularissima, omnibus omnino in re tanti momenti contraria, sinceris veritatis amatoribus vehementer displiceat. Sed quomodo tam se quàm alios magis improbari quam considerari expertus fuerit, non assequor; hoc enim non ad ipsius sed aliorum legentium ac rejicientium

Immeritò  
queritur, se  
alioque  
fuisse re-  
jectos.



tium experientiam pertinet. Præterea certum est Auctorum illorum libros sedulo lectos, nec autem à sapientibus rejectos fuisse, quàm serio consideratos. Idem præsumendum est de iis, si qui sint,

qui doctrinam ipsius rejecerint. Immerito ergo & incongruè queritur, expertum se, quòd tam ipse quàm alii magis rejecti fuerint quàm considerati.

## QUÆSTIO OCTAVA.

*Virum praxis & decreta Romanorum Pontificum faveant benigna sententia?*

Statu quaestio-  
tionis.

**R**OMANUM Pontificem, utpotè universalem Christi Vicarium, in fidei morumque doctrinâ, quam fidelibus proponit, errare non posse, certum mihi est, illudque pro certâ ac pernecessariâ Theologiâ optimè admittit Celladeus *lib. 1. quest. 1. §. 7.* ubi super hoc ipsum, tanquam super fundamentum firmissimum, suam sententiam stabiliri existimat; contendit enim, decretum quoddam Alexandri VII. sibi favere. communique aliorum omnium sententiæ refragari. Verùm in hoc manifestè fallitur, ut in hac ipsâ quaestione evincam.

Cæterum, ut amplior disputationi scopus detur, ego praxim Pontificum eorundem decretis adjungendam duxi; non quòd praxis illorum tantæ auctoritatis sit ad assertionem aliquam comprobendam, quantæ sunt eorum decreta, cum in operando peccare possint, quamvis ex peculiari Dei assistentiâ in docendo errori non sint obnoxii; sed quia communis Pontificum pietate præstantium praxis, ingens honestatis argumentum est. Itaque si constiterit, Summos Pontifices, probitate, ac sapientiâ præcipuos, opinione benignâ usos fuisse, atque suas ex eâ operationes regulasse, nemo, ni fallor, eam amplius falsitatis aut periculi audebit condemnare, & in tantos animarum suarum Pastores insurgere. Sed quia de hac Pontificum praxi sat fusè egit *quest. 22. de conscientia probabili, num. 185. & seq.* ideo ea hoc loco solum indicabo, quæ ibi tradidi; mox alia complura afferam illis potentiora, per quæ constabit, licitum opinionis benignæ usum, etiam quoad minus probabilia, tantum non à Summis Pontificibus declaratum ac definitum fuisse. Sed ad rem ipsam. Sit ergo.

### ASSERTIO PRIMA.

*Praxis Summorum Pontificum, pietate ac prudentia conspicuorum, apertissimè favet benignæ sententiæ, rigideq; ac singulari Celladei opinioni penitus refragatur.*

Pontifices in rebus maximis sæpe sequuntur partem minus tutam, contra tutiorem probabili.

2. **P**ROBATUR. S. Thomas 2. 2. *quest. 88. art. 11.* (quem Thomistæ unanimiter sequuntur) expressè docet, Summum Pontificem in voto solemniter dispensare non posse. Alii contrariam sententiam tenent, quàm etiam S. Thomas in *commentariis in lib. sententiarum* tenuerat. Similiter S. Bonaventura, Scotus, Scotistæ omnes, aliique quàm plurimi docent, Papam in matrimonio rato dispensare non posse. Alii è contrario docent oppositum. Certum tamen est, complures Summos Pontifices, prudentiâ ac probitatis laude conspicuos, in utroque casu sapius dispensasse, non obstante, quòd valde probabi-

lis Theologorum opinio doceret, tales dispensationes esse invalidas. Ergo Summi Pontifices, non solum ut privatæ personæ, sed ut supremi Pastores, in rebus summi momenti frequenter sequuti sunt opinionem probabilem minus tutam, quamvis opposita esset probabilis, aut etiam probabilior illâ quam sequebantur. Argumentum hoc fusè explicatum habes *quest. 22. de conscientia probabili à num. 185. usque ad 200.* Quæ autem contra objiciuntur, soluta habes in *eadem quest. num. 227. & seqq. usque ad finem.* Ibidem habes plura circa alias materias dispensationum exempla, quæ validissimè confirmant benignam sententiam, oppositamque Celladei opinionem priorsus evertunt.

### ASSERTIO II.

*Decreta Summorum Pontificum, & nominatim tam decreta quàm indubitata sententiæ Alexandri VII. nobis favent, Celladeo autem adversantur.*

3. **P**ROBATUR primò. Innocentius III. in *cap. Inquisitioni tue, de sent. excom.* expressè definit, partem minus tutam sæpe esse licitam, etiam quando adfuerit rationes dubitandi, quibus homo, jam operaturus, antea credulitatem & assensum præstitit. Expressè enim docet, conjugem, qui dubitat, imò qui credit matrimonium suum esse invalidum, posse non solum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale, si illa credulitas sit levis seu temerè concepta, modò prudenti ratione vel consilio tamquam talis explodatur ac contemnatur. Audi verba formalia. *In secundo distinguimus, utrum habeat (conjug) conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria, an verò ex probabili & discretâ. Et quidem ad sui Pastoris consilium (conscientiâ levi & temeraria credulitatis explosâ) licitè potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale, &c.* Et quidem hoc traditur in materiâ juris naturalis, & in rebus, quæ sunt essentialiter, & intrinsecè malæ. Ergo illud ipsum à fortiori locum habet in materiis juris positivi; difficilius quippe est honestare quæ ad jus naturæ, quàm quæ ad jus positivum pertinent. Vide *quest. 19. de conse. prob. à num. 15.* ubi argumentum in hoc canone fundatum ponderavimus. Vide etiam *quest. 23. in eodem tractatu à num. 65.* atque etiam *quest. 26. à num. 37.* quia ibi etiam plura ad hunc textum spectantia sunt dicta. At hæc omnia expressè repugnant Celladeo, qui nec majorem probabilitatem, immodò nec ipsam certitudinem existimatam pro regulandâ conscientiâ asserit sufficere.

Rursum tota *questio 26. de conscientia probabili* consulenda est; ubi ex professo ostendi, sacros Canones